

esse debet in functionibus solemnibus peragendis, nec non in obeundis administrationis muneribus.

3. Decani rurales, juxta normam ab Episcopo traditam, singulis Dicecessis districtibus præsint: (a) ut Consiliis adjuvent sacerdotes præsertim juniores; (b) invigilantque ut statuta Synodi provincialis et diœcesanæ a sacerdotibus observentur; (c) ut Episcopum certiorem reddant de iis quæ emendatione egere videantur; ceteraque eo modo peragent quæ juxta statuta diœcesana ipsis ab Episcopis demandentur.
4. Habeat Episcopus suum Secretarium et tandem; Procuratorem unum vel plures constituat quorum erit domus Episcopalis in temporalibus administrationem habere, de ipsis Episcopi sententia et arbitrio. Curam gerere redditum et bonorum ad ipsum pertinentium, eidemque statutis temporibus omnium sibi Commissorum districtam reddere rationem, ut non modo illa non dissipentur sed testis sit rectæ administrationis et dispensationis. Quæ quidem omnia eo spectant ut non solum bonorum Ecclesiae administrationi consulatur, verum etiam ut studiosius Episcopi spiritualibus officiis, quæ Episcopalis muneris propria sunt, toto animo incumbant.
6. Monentur deinde Episcopi ut sacerdotes aliquos, pietate, gravitate, scientia et rerum gerendarum peritia conspicuos seligant, qui Consultorum Episcopi officio fungantur.
7. Examinatores synodales, et prosynodales elegantur ad tramitem juris, quorum erit eos examinare qui indigent jurisdictione vel approbatione, eis etiam Episcopus uti poterit ad literas testimoniales expediendas et ad alia exequenda quæ vel de jure, vel de more, sunt.